



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Dispvt. CCXV. An habuerint Angeli notitiam mysteriorum supernaturalium  
per reuelationem Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)



imo qui hoc modo rationem transubstantiationis in sacramento Eucharistiae defendit, id, quod de fide definitum est in Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. ad quoddam genus philosophiae excogitatum potius, quam verum & necessarium, reducere videntur, ut fufius ibidem dictum est.

*Qui differt adductio à transubstantiatione.*

Deinde observandum est, quod eodem loco diximus, simplicem adductionem corporis Christi ad species sacramentales, hoc differre à transubstantiatione, quod simplex adductio vno ex his modis fieri debet, vel relinquendo locum priorem, vel etiam eo retento: ita tamen ut praesentia corporis Christi in Eucharistia vel maneat cum panis substantia, vel si desinat substantia panis non desinat ex vi praesentiae corporis Christi, sed sola Dei voluntate, id non postulante praesentia: tunc autem praesentia corporis Christi, & destructio panis se habent comitanter, & absque ulla connexione, ita ut vna aliam non consequatur: ut autem inter praesentiam corporis Christi & destructionem panis sit illa connexio, necessarium est, praesentiam corporis Christi cum substantia ipsa panis oppositionem aliquam habere, ut simul esse nequeant. Haec autem oppositio non est inter ipsas substantias secundum se, ut manifestum est, nec ex aliquo modo illis communicato, quem aliqui abique fundamento comminiscuntur, sed ex sola verborum veritate, quae stante impossibile est ibi non esse substantiam corporis Christi, & manere substantiam panis: quia aliqui pronomen, hoc, vere non demonstraret corpus Christi, ut suo loco explicabitur. Neque vero satis esset, ut diceretur transubstantiatio, si propositione copulativa fieret consecratio, dicendo hoc modo, *Hic fit corpus meum, &c.* Hic non maneat substantia panis: tamen in hoc casu utrunque fieret, & species vere manerent consecratae cum corpore & sanguine Christi. Ratio vero, ob quam tunc non esset transubstantiatio, ea est, quia tunc duae illae mutationes simul aut comitanter essent, nec vna aliam sequeretur, nempe mutatio praesentiae corporis Christi, & destructio substantiae panis: nam ad veritatem propositionis copulativae necessarium non est, ut veritas unius partis ex alia parte oriatur, & ideo Petrus disputante in vna parte, & Ioanne currente in alia, est vera propositio, Petrus disputat, & Ioannes currit, quia simul haec duo fiunt: nunc autem est vera transubstantiatio, quia unica solum enuntiatione demonstrativa, *Hoc est corpus meum*, ita fit corpus Christi praesens, ut hoc ipso necessario debeat destrui substantia panis: quia igitur sacerdos, faciendo praesens corpus Christi destruit panem: recte dicitur substantia panis desinere in corpus Christi, & in illud transire, ut suo loco latius declarabitur. Ergo cum Angelus virtute propria cognoscere possit, his verbis prolatis totum hoc fieri, ut ratione veritatis corpus illud sit in Eucharistia, & consequenter substantia panis destruat: propterea iam verbis, & viso effectu, qui fit in pane, & in praesentia corporis Christi, recte intelligere potest propria virtute, corpus illud ibi esse per transubstantiationem, nec hoc est cognoscere aliquid natura & substantia supernaturale, sed supernaturale solum ex parte efficietis. Certe si in corpore Christi esset aliquis modus, ratione cuius consequeretur destructio substantiae panis, ille esset supernaturalis secundum naturam suam, ac proinde cognosci ab Angelo non posset propria

virtute: quia tamen nihil aliud ibi intervenit, quam efficacia verborum virtute veritatis & significationis: nihil obstat, quo minus Angelus recte cognoscat, ibi esse Christum per transubstantiationem: cognoscit autem Angelus, verba illa Christum fuisse instituta ad hunc effectum: hoc enim est aliquid facti) videt etiam, semper verbis illis prolatis ita fieri, nec aliter posse esse veritate signum cognoscit transubstantiationis modum.

## DISPUT. CCXV.

An habuerint angeli notitiam mysteriorum supernaturalium per revelationem Dei.

*Mysterium Incarnationis Angelis in via fuisse reatum, communis sententia est. cap. 1.*

*Explicantur Scripturae, & Patrum testimonia, quae contra communem opinionem pugnant videntur. cap. 2.*

*Quae mysteria Angelis beati in verbo cognoverunt. cap. 3.*

## CAPVT I.

*Mysterium Incarnationis Angelis in via fuisse reatum, communis sententia est.*

Indubitatum apud omnes est mysterium Trinitatis reuelatum fuisse angelis in via: mysterium quoque iustificationis, & beatitudinis, ut recte admonet S. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 4. & in hoc articulo 1. q. 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. De mysterio vero Incarnationis difficultas aliqua est, an fuerit reatum omnibus angelis ab initio. Non pauci Doctores affirmant, reuelatum fuisse. Ita docet Bernardus in illud Ioan. 8. Ille homicida eris ab initio. Ca. 1. thein. in lib. de eximia praedestinatione Christi, & in libro de gloria angelorum: Viguerius de instit. Theolog. 3. §. 2. vers. 1. §. & cap. 20. §. 1. vers. 4. Iacob de Falmis in illud v. sal. 8. Surge Deus iudica terram. Nicolaus de Lyra, Ca. 1. & Dionys. Carthusius in illud v. sal. 63. Quis effugit quem vult de Edon? Decanus Lonanensis. a. 2. §. 4. & a. 8. §. 1. facit tamen huic opinioni S. Thomas: nam quamvis in hoc articulo ad 1. dicat, hoc mysterium fuisse angelis beatis reuelatum, infra tamen q. 64. art. 1. ad 4. docere videtur, de mones etiam cognovisse mysterium Incarnationis, si verba illius attente inspiciantur: clausula tamen in 2. d. 1. q. 1. art. 4. ita docuit ipsum dixisse videtur Bern. ferm. 17. super Cant. tamen si hoc id constanter non asserat. Colligunt quoque hanc sententiam nonnulli ex Aug. 5. lib. de Gen. ad lit. c. 19. quem in eo argumento 4. refert S. Thomas ad hoc probandum: quinimo in 2. art. illo 4. plane affirmat, Aug. in hac sententia fuisse. Ex multis vero rationibus quae congruenter solum ostendunt, angelis notitiam huius mysterii fuisse communicatam, ea meo iudicio potissima est, quod Adamus in statu innocentiae hoc mysterium cognovisset, ut docet S. Th. 3. par. q. 1. art. 3. ad 5. & clarius 2. d. 1. q. 2. a. 7. in corpore, & non obscure indicat illud. Hoc nunc os ex osibus meis, &c. quod interpretatur Paulus his verbis, Sacramentum hoc magnum est, quod autem dico in Christo & Ecclesia.

Sunt tamen nonnulli recentiores Thomae, qui asserunt, angelis non fuisse reuelatum in via hoc mysterium: quibus primo aspectu sancti nonnulla scripturae, & sanctorum Patrum testimonia, quae in bonum sensum interpretanda sunt, per dictam sententiam defendamus. Ex videntur fuisse opinio Alex. 2. p. q. 26. m. 1. & Galus 2. d. 1. q. 2. a. 7. dub. 4. vbi asserunt, aliquibus solis angelis reuelatum fuisse.



fuisse mysterium hoc, nō quidem in instanti creationis, sed confirmationis in gratia; quare de quibuldam solum intelligunt illud ad Ephes. 3. Appa-  
ruit Angelis, &c.

## CAPVT II.

Explicantur Scripturae, & Patrum testimonia, quae  
contra superiorem opinionem pugnant vi-  
dentur.

**M**ysterium Incarnationis Angelis non fuisse  
ab initio reuelatum, plures & graues eccle-  
sia Patres videntur tradidisse, quorum testimonia  
in hoc capite recensenda, & explicanda sunt. Ex  
Latinis est Hieron. rom. 6. in magnis comment. Epist. ad  
Ephes. in illa verba cap. 3. Mysterij absconditi a saeculis,  
vbi ita scribit, Potest autem mysterium absconditum a  
saeculis & aliter intelligi, quod ipsa illud saecula ignorave-  
rint, hoc est, omnes spirituales & rationabiles creaturae. I-  
dem omnino dixerat in cap. 3. 6. Isai. & infra in illa  
verba eiusdem cap. 3. ad Ephes. Vt innotesceret princi-  
patibus, &c. docere videtur, ex praedicatione huius  
mysterij facta in Ecclesia didicisse angelos multi-  
plicem sapientiam Dei. Quare & vocem illam  
Psalmi 23. Quis est iste rex gloria? Et illam Isai. 63.  
Quis est iste qui venit de Edon? tribuit Hieronymus  
Angelis, qui mirantes Christi mysterium, de ipso  
Christo interrogabant, Quis est iste rex gloria? &c. ita  
interpretatur idem Hieronymus in illud Esai. 63. & in  
illud Psal. Deinde Ambrosius lib. de inuit. virgin. ca. 5.  
& 4. lib. de fide, cap. 1. & lib. de in. qui initiantur, cap. 7.  
vtrumque illud locum veteris testamenti, & Psal.  
23. & Isai. 63. de angelis ita intelligit, vt de myste-  
rio Incarnationis interrogarent. Ex qua doctrina  
desumitur efficax argumentum in hunc modum:  
si angeli interrogabant de hoc mysterio: signum  
est, illud ignorasse: de his enim rebus, quas scimus,  
nunquam interrogamus.

Ex Graecis vero Patribus eandem opinionem  
videtur secuti Iustin. in dialogo cum Tryphone contra  
Iudaos, pag. 27. dum illud Psal. 23. Quis est iste rex gla-  
ria? explicat de angelis eo modo, quo eam Hier-  
on. & alij explicauerunt, & Dionys. c. 7. de celesti hie-  
rar. vbi illud Isai. 63. Quis est iste qui venit de Edon? de  
eisdem angelis eodem profus modo intelligit.  
Chrysost. autem in praefat. in Euangel. Ioan. longe ante  
medium, adducens illud ad Eph. 3. Sacramenti ab-  
sconditi a saeculis, inquit, Ioannem Euangelistam lo-  
quela, quae neque angeli, priusquam ille diceret,  
nouerunt: sentit igitur, angelos ex Ioannis Euan-  
gelistae praedicatione mysteria didicisse, & hom. 7.  
in Epist. ad Ephes. videtur asserere, non tantum fuisse  
absconditas angelis diuitias Christi, sed etiam  
ipsam mysterij substantiam, hoc solum, inquit, scie-  
bant Angeli, quod portio Domini esset populus eius. Idem  
plane asserunt Theodor. Theophyl. & Occum. in eam  
locum ad Ephes. 3. Cyrillus etiam lib. 2. in Ioan. cap. 3.  
eundem locum Pauli interpretatur de mysterio  
Incarnationis. Et quamuis non dicat, ignotum  
fuisse angelis ante praedicationem factam Eccle-  
siae: id tamen colligi videtur ex textu Pauli, Vt  
innotescat principibus, &c. Nam si loquitur Paulus,  
vt ait Cyrill. de mysterio incarnationis: recte col-  
ligitur, ex praedicatione facta in Ecclesia innotuisse  
angelis: Clarissime tamen Gregorius Nyssenus  
homil. 8. in Cantica post medium ita sensisse vi-  
detur: ibi enim ita loquitur, Etenim superioribus  
temporibus potestates ille super mundum nunc posita so-  
lam illam simplicem, ac vniuersalem Dei sapientiam no-

rant, conuenienti quadam ratione miracula rerum in  
natura perscipientem, &c. At de specie illa sapientiae va-  
ria, quae ex rerum sibi aduersantium nexu constat, nunc  
per Ecclesiam clarissima sunt edocēta. Explicans verò,  
quae fuerint edocēta, subiungit: Qui mirum sermo  
caro fiat, qui vitam cum morte miscatur, quo pacto vi-  
bice propria vulnus nostrum sanat. Exponit deinde sin-  
gula, quae ex Christi incarnatione orta potestates  
angelicae cognouerunt.

Verum, vt priorem opinionem defendamus,  
primum loca Scripturae, ex quibus contra illam  
desumpta sunt argumenta, interpretanda sunt:  
praeterea quid sentierint patres ostendendum est.  
Primum igitur illud Psal. 13. Quis est iste rex gloria?  
varie partes interpretantur, a: proinde ex illo pa-  
rum probari potest. Nam licet de angelis illud in-  
telligat, Aug. tamen ser. 178. dictum fuisse putat  
non ex ignoratione, sed ex admiratione: illud verò  
Isai. 63. Quis est iste qui venit de Edon: nō eodem mo-  
do patres explicant: namque Athanas. in lib. de salu-  
tari aduentu contra Apollinaristis accōmodat illa ver-  
ba demoni interroganti Christum quando access-  
sit, vt tentaret eum: cum sane expositioni nō qua-  
drat responsio, quam Propheta subiungit, Ego qui  
loquor iustitias, &c. Tertull. vero 4. lib. contra Marcion. c. Tertul.  
40. dicit fuisse verba illa Prophetae spiritu prophe-  
tico contemplantis dominum in passione, & di-  
centis: quis est iste, &c. Demum Cyril. in comment. il-  
lius loci, etiam si referat ad angelos beatos interro-  
gantes tempore ascensionis, inquit tamen eam  
interrogationem profectam fuisse ex stupore in-  
soliti spectaculi. Quare licet interpretationem Iu-  
stini admittamus, non est necesse asserere, angelos  
aliquid mysterij ignorasse, & ex hac ignoratione  
interrogasse. Quis est iste, &c. id quod manifesta ra-  
tione confirmatur: nam Angeli beati, quorum  
dicitur fuisse illa interrogatio, ante domini ascen-  
sionem nouerant quidem mysterium incarnatio-  
nis, & quis esset ille Rex gloriae, in cuius nativita-  
te dixerant, Gloria in altissimis Deo. Luc. 2. cap. ergo  
non ex ignoratione interrogarunt, quis esset.  
Quod si dicamus, ex ignoratione aliqua illud di-  
xiste postulantē notitia illius mysterij illud dari,  
& edoceri, sicut infra disput. seq. c. 6. explicabitur:  
asserendum est, nō ignorasse omnino mysterium  
Incarnationis, sed circumstantias aliquas illius,  
quas edoceri cupiebant. Et quidem quod attinet  
ad locum Pauli ad Ephes. tertio. Vt innotescat prin-  
cipatibus, non satis ex illo probatur, fuisse quidem  
mysterium hoc ignotum principibus, & potesta-  
tibus angelicis: namque ante Pauli praedicationem,  
& conuersionem non solum substantia my-  
sterij Incarnationis, verum etiam ceterae circum-  
stantiae redemptionis nostrae, & Euangelij no-  
tae esse potuerunt Angelis ex praedicatione et-  
iam aliorum Apostolorum post diem Penteco-  
stes. Quocirca data opera dixisse videtur Pau-  
lus, Vt innotescat principibus, nō, mysterium incar-  
nationis, sed multiformis sapientia Dei: neque dixit  
sibi datum esse, praedicare solum hoc mysterium  
sed inuestigabiles diuitias Christi, & quae sit dis-  
pensatio Sacramenti: quo significare voluit, quo-  
tidie noua, & mirabilia fieri in praedicatione Eu-  
angelij, in quibus reluceret multiformis sapien-  
tia Dei: De his autem inquit manifestari princi-  
patibus & potestatibus, quia cum fierent in con-  
spectu ipsorum eis innotescere dicebantur; sicut  
1. ad Timoth. 3. appellat hoc magnum pietatis  
mysterium.



myfterium, *Quod apparuit*, inquit, *Angelis*, hoc est, quod in conspectu angelorum factum est, ipsis quidem prædicantibus, & glorificantibus: non quia, antequam fieret, illud non cognouissent, sed quia ipsis cernentibus mundo & omnibus apparuit.

Augustinus quidem alio modo locum adductum ex cap. 3. ad Ephes. interpretatur lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 19. ut defendat myfterium incarnationis tunc angelis non innotuisse, quando prædicatum est, sed ante prædicationem: cuius interpretationem ut intelligamus, verba Pauli altius recitanda sunt, *Mihi (ait) omnium Sæclorum minimo data est gratia hac in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Refert igitur Augustinus partem illam, ut innotescat, ad illam absconditi in Deo, ita ut senius sit, mihi concessum est prædicare diuitias & dispensationem Sacramenti absconditi in Deo, quod ita erat absconditum, ut tamen innotesceret principatibus angelicis, & illis antea fuerit notum per Ecclesiam, scilicet suam, quia apud eos primitus Ecclesia: hæc tamen expositio: quamvis priori faueat sententiæ, extorta nihilominus mihi videtur: melius enim pars illa, innotescat, refertur ab illam, *Euangelizare*, ut sit sensus, datum est mihi euangelizare, ut per meam prædicationem innotescat multiformis sapientia Dei.*

Deinde ego quidem fateor, hoc modo satisfactum testimoniis Scripturæ superius allatis & interpretationibus, quas illis adhibent Patres, ut ita defendamus, non fuisse myfterium hoc absconditum à principio angelis; inficiari tamen non possum, aliquos Patres ex allegatis oppositum docuisse, ac proinde improbabilem non esse sententiam, quæ asserit, myfterium hoc non fuisse Angelis à principio reuelatum. Patres vero sunt Chrysostomus, Theodor. Theophyl. & Oecumenius, Hieronymus & Nyssen. locis allegatis, qui non tantum videntur loquuti de circumstantiis, sed etiam de substantia ipsa mysterij, tum dicunt absconditum fuisse Angelis. Ratio etiam quam pro priori sententiâ adduximus de Adamo, non multum vrget: quia multo maior fuit ratio, ut Adamo in statu innocentie hoc myfterium reuelaretur, quam angelis: tum quia ex carne Adami verbum sumpturum erat humanitatem: tum etiam quia matrimonio Adami cum Eva myfterium Christi cum Ecclesia, & coniunctio per carnem significabatur: ergo mirum non esset, si Adamo reuelaretur myfterium hoc, quod angelis omnino fuerat ignotum: porro Adamo reuelatum fuisse incarnationis myfterium, communis opinio fert, nec video ab aliquo negari.

Postremo addendum est, quacumque ratione philosophari velimus in hac re, ante aduentum Christi in carne notum fuisse myfterium incarnationis angelis quoad substantiam saltem, & angelorum ministerio illuminati prophetæ illud prædixerunt, & Gabriel Archangelus Mariæ illud nuntiavit: hinc tamen non fit, ut à principio ipsis fuerit reuelatum.

*Qua myteria Angeli in verbo cognouimus.*

IN hoc capite differendum non est, an videntur Angeli in verbo eadem visione, quæ videntur essentiam Dei, aliqua alia creata myteria, de hoc enim satis superque diximus supra disput. 50. sed hic supponendum est id, quod ibi fultus ostendimus, nempe cetera omnia obiecta creata, ex parte qua creata sunt videri à Beatis alia visione, quam videtur ipse Deus; eaq; videri non ex visionis essentia diuinæ, sed quia Deus seipsum reuelans Beatis alia quoque reuelat. Quæ variatione dicantur Beati in verbo illa intueri, videntur etiam explicatum est. Consonantem doctrinam Sancti Thomæ quæst. sequenti artic. 7. videri concedit, angelos beatos decursu temporis multis in verbo cognoscere, quæ in principio sue beatitudinis non videntur: cõstat autem visionem essentia diuinæ non variari: signum ergo est, ex mente S. Th. alia visione illa videri.

Ceterum, quod attinet ad ea, quæ beati Angeli ab initio cognouerunt Deo reuelate alia visione, vel eadem, primum nemo dubitat, vidisse myfterium Trinitatis: quia qui videt Deum, non potest non videre ea, quæ sunt formaliter in Deo: huiusmodi autem est myfterium Trinitatis. Deinde de myfterio incarnationis eodem modo dicendum est, cognitum fuisse ab Angelis in beatitudine, sicut diximus cognitum fuisse in viuificatione Hieronymus Chrysostomus Nyssen & alij. Patres allegati cap. præcedenti, hoc videntur negare maxime tamen consentaneum est, fluxum ignis, ut ab initio cognouerint myfterium hoc: cum enim omnes sint administratores spiritus, teste Paulo ad Heb. 1. propter eos, qui hæc doctrinam capiant salutis, dubitandum non est, myfterium hoc incarnationis, si rem secundum substantiam illius, à principio beatitudinis angelis fuisse reuelatum: tamen si circumstantias aliquas ignorauerint. Fuisse ipsis cognitum, antequam operi compleretur, iam satis superiori capite monstrauimus.

Postremo obseruandum est id, quod docet Ieronimus lib. de summo bono cap. 12. sententia 7. nempe omnia ea, quæ voluntate Dei futura sunt, ab angelis in verbo cognosci, antequam fiat: quæ videtur fuisse sententia Augustini lib. 13. confessionum cap. 13. & 9. de ciuitate cap. 22. non esse vniuersim intelligenda: quia aliqua etiam beati cognoscunt decursu temporis, quando sunt, ut supra disputatione illa 50. capite 7. docuimus: id quod Sanctus Thomas aperte sentit, quæst. 16. quæsti. artic. 7.

## DISPVT. CCXVI.

An intellectus vnus Angeli ab alio illuminetur.

*Opinio Durand. cap. 1.*

*Secunda sententia quinq; modis explicata, cap. 2. Caietanus benigne interpretatur sententiam S. Thomæ cap. 3.*

*Tres alij modi explicandi & defendendi priorem opinionem, cap. 4.*

*Vnum Angelum ab alio illuminari sola externa propositione, probabilior opinio fert.*

*Corollaria superioris doctrina, cap. 6.*

CAPA

*Alia Aug. interpret.*

*Quid sententiam in hac re.*

10.